



1. Melchioris Schmidij Diss. de Linguis sacris. 1685.
2. Joh. Bernh. Hahn Diss. de appellatione Linguae  
Hebraeae, quae dicitur Sancta. 1712.
3. Joh. Henri. Honel Diss. de vocis quam Hebraei vocant  
Jehia. 1673.
4. Valent. friderici Diss. de filia vocis. 1670.
5. Henri. Liedert Diss. de mandato scribendi novum testamentum. 1719.
6. Joh. Henri. Lypij Diss. de usu Linguae Syriacae. 1726.
7. ejusdem de historia Linguae Sanctae. 1726.
8. Mich. Ghercke Diss. de fama Graecae Linguae. 1716.
9. Joh. Bernh. Hahn Diss. exhibens decadem observan-  
tionum philologicarum, e Literatura Graeca, Chr.
10. ejusdem, de appellatione Linguae Chrae. quae dicitur Sancta  
1715.
11. ejusdem, Diss. exhibens decadem observantiarum  
philologicarum e Literatura Orientali. 1715.
12. Bernh. von Salden Diss. de Aora, 1709.



DISSERTATIO THEOLOGICA,  
ARGUMENTUM EXHIBENS

JUBILÆO

QUOD INSTAT

LUTHERANO  
ACCOMMODATUM,

DE

MIRACULORUM

DEFECTU,

B. LUTHERO MALE EXPROBRATO,

QUAM

DEO O. M. JUVANTE,

CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ

PRÆSIDE

SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO & EXCELLENTISSIMO

DN. HENRICO LYSIO,

S.Theol. Doct. & Prof. Secund. p.t. Facult. suæ DECANO,

S.R.M. in Borussia Concionatore Aulico, Consistorii Samabiensis  
Consiliario, Collegiique Fridericiani Directore,

PRO GRADU DOCTORATUS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT

CHRISTOPHORUS Langhanssen/

Mathem. P P. Extraord.

IN AUDITORIO MAXIMO

Anno 1717. d. 22. Octobris.

REGIO MONTI. LITERIS REUSNERIANIS.



65

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
IN  
BORUSSIA  
CONSILIARIIS STA-  
TUS INTIMIS  
*ILLUSTRISSIMIS ET EXCEL-  
LENTISSIMIS,*  
DOMINIS,



DN. ALEXANDRO  
S.R.L. BURGGRABIO & COMITI  
de DOHNA,

Libero Baroni a Wartenberg, Bralin & Goschitz, Regionum Exercituum Generali Campi Marefchallo, Magni Ordinis Aquilæ Boruffiæ Nigræ Equiti, Gubernatori Fortalitii Pillaviensis, Capitaneo Diſtrictus Morungenſis & Liebſtadienſis, &c. &c.

Domino Hereditario Terrarum Schlobitten/ Herrendorff/ Schlobdien/  
Karwinden/ Kleinheyde/ &c. &c.

DN. CHRISTOPHORO  
ALEXANDRO  
a Mauſche/

Supremo Regni Magiſtro, Magni Aquilæ Pruſſicæ Nigræ Ordinis Equiti,  
Hereditario Domino in Eiſerwägen/ Rieſchnehen/ Nadrau/ &c. &c.

DN. FRIDERICO WIL-  
HELMO a Mauſe/

Supremo Regni Burggravio,  
Hered. Domino in Podangen/ Lomp/ Noſenau/ Mauſſeizen/ Tharau/  
&c. &c.



DN. LUDOVICO  
ab **W**istau /

Supremo Regni Cancellario, & Summi Appellationum Judicii  
Præsidi fulgidissimo & Feudorum Directori,  
Hereditario Domino in Lablack / Kiesitten / &c. &c.

DN. DIETERICO  
a **W**ettau /

Supremo Regni Mareschallo,  
Hereditario Domino in Wicken / Schönbruch / Namsen / &c. &c.

DN. SIGISMUNDO  
a **W**allenrodt /

Consiliorum Provincialium Directori, Districtus Brandenburgensis  
Præfecto, Aerarii Borussiae publici Præsidi,  
Hereditario Domino in Karmitten Kroschenen / &c. &c.

*Mecenatibus suis indulgentissimis*

Dissertationem hanc Inauguralem in debitam gratæ mentis  
& obsequii humillimi tesseram cum calidissimo Illustris  
Prosperitatis Voto consecrat

*Clienti devotissimus,*

CHRISTOPHORUS Langhanssen.



I. N. I.

§. I.



Uæ in Ecclesia Romana ubique se ex-  
erit superstitio, viros etiam cruditissimos  
eo adigit, ut non modo antiquiorum secu-  
lorum miracula laudent, quæ & nos omni-  
no non negamus, sed & per omnia, quæ  
Papatus duravit secula Thymaturgos enar-  
rent, quos miraculis iis similibus, quibus  
Prophetæ, Christus & Apostoli inclarue-  
runt, dogmata Papalia confirmasse volunt.\*

Cum enim Pontificii inter notas Veræ Ecclesiæ etiam miraculorum  
gloriam referant; mirum sane non est, eos omnem in id impendere  
operam, ut ad vindicandam Ecclesiæ suæ, veræ Ecclesiæ notam, mira-  
cula sua omnibus modis commendent. Tametsi vero dudum ipsi  
offensum fuerit, \*\* & qui alias Romanum Cætum strenue defen-  
dere

A

\* Præter annalium Conditores Pontificios vid. Legendarii, qui vitas  
Patrum & acta sanctorum scripserunt, in compendio autem Rober-  
tus Bellarminus de Notis Ecclesiæ cap. 14. De miraculis perennibus  
Ludovicus Marraccius in Prodro-mo ad refutationem Alcorani  
P. 2. cap. 12. De miraculis missionariorum Histoire de l'Eglise du Ja-  
pan. &c. \*\* Post Job. Gerhard. in L.L. de Ecclesia §. 284. &  
Nicolaum Hunnium de Ecclesia Romana non Christiana §. 159. seqq.  
conf. Theodosius Gibellinus in Cesareo-Papia Romana P. 3. c. 3. §. 15.  
& quem citat, Petrus Molinaus in Novitate Papismi lib. 1. cap. 42.  
item Henricus Dodwellus Dissert. 2. in Irenæum, qui quantum inter  
vetera primitivæ Ecclesiæ miracula & recentiorum scriptorum  
figmenta interfit, proluxe exponit. Addi poterit autor anonymus,  
cujus duo Volumina de fraudibus monachorum & sacerdotum Ro-  
manensium in Itinere per Italiam observatis, præstant, & recensentur  
in Actis Erudit. Lips. A. 1708. pag. 278. & 536.



dere solent, cordatiores ipsi confiteantur, \* quomodo ipsorum miracula, de quibus tantopere gloriantur, se habeant, quod partim dubia nitantur fide, partim fallacia, partim magica, partim ludica & puerilia sint, imo superstitionem ethnicam, & errores hæreticos commendent; tanta tamen quorundam hyperaspistarum audacia est, ut cum Lutherus & qui cum sequuntur ad nulla miracula provocent, quibus suam doctrinam comprobent, hunc miraculorum defectum ipsis impudenter exprobrent, & doctrinam ipsam, eo quod miraculis non sit comprobata, ut erroneam rejiciant. Ita nimirum Bellarminus expresse veram fidem apud Lutheranos non esse exinde probat, quia vera apud eos non sunt miracula, & Lutherum cum Francisco Xaverio comparans hunc illi propterea longe anteponit, quia Xaverium dono miraculorum singulari instructum fuisse putat, Lutherus vero ne unam quidem muscam, ut loquitur, excitare potuit. \*\* Similia habent Alfonsus Salmeron, \* \* Gregorius de Valentia, † Joh. Kirchius, †† Laurentius Forerus ††† Paulus Segnerius † Thyrsus Gonzales, †† & alii. Horum adeo iniquitatem in præsentem dissertatione retundere animus nobis est, quæ cõtendet, ut miracula a Luthero absurde exigi evidenter ostendatur.

## §. II.

Ut vero quæ dicenda sunt, eo rectius intelligantur, breviter quid miraculum sit, indicandum erit. Ea nimirum humanæ mentis indoles est, ut quæ saltem attente considerat, insolita quævis, si eorundem

\* *Plurima horum testimonia congestit Gerbardus in Confessione Cathol. fol. 773. quibus ex recentioribus add. Abbas Richardus in Critica Jurio opposita lib. 2. cap. 51. \*\* l. c. \* \* Tract. 23. T. 6. † *Analys. fidei Cathol. lib. 1. cap. 7. †† In Aetiologia migrationis suæ ex Synagoga Lutherana in Eccles. Catholicam cit. ex Dorsch. Hodoger. Cathol. Anti-Kircher. Cap. 9. Job. Frid. Mayero in Luthero Apocalypico pag. 79. ††† In Luthero Thaumaturgo pag. 1. seqq. † In incredulo inexcusabili pag. 179. ex quo Ital. sermone edito tract. excerpta habentur in Actis Erudit. Lips. A. 1691. pag. 380. seqq. †† De veritate Religionis Catholicæ. Vid. Acta Erudit. A. 1697. pag. 277. seqq.**



dem causas specialiores detegere nesciat, eandem in admirationem rapiant. Qui rerum causas novit, eas non admiratur, unde admiratio recte ignorantiae filia dicitur. Quod vulgus admiratur, eruditus, qui rationem sciunt, mirum non videtur, & quod ante ipsi admirati sumus, non amplius miramur, postquam causa ejus nobis innotuit, quorum omnium exempla evidentissima vel sola insigniora Caeli Phœnomena nobis subministrant. Sed nec omnia, quorum causas nescimus, admiramur, verum ea saltem, quae insolita sunt, & extraordinaria, aut ad minimum admiranti talia videntur. Quicquid eminentia aliqua aut perfectione se nobis commendat, hoc ipso admirationem excitat, quia insolitum est. Contra Opifices in officinis suis quotidie hujusmodi instrumentorum suorum mechanicorum effectus observant, quorum causas reddere non possunt, quia tamen eosdem quotidie animadvertunt, nulla admiratione afficiuntur. Hanc vero Philosophiam ipse Christus docere videtur, quando admirationem odii mundi ex cordibus Discipulorum sublaturus, odium illud nihil novi, nihil insoliti esse, sed tale, quod ipse expertus erat, inculcat, deinde rationem odii istius, quod nempe discipuli non erant de mundo, exponit, duos adeo admirationis fontes, opinionem nempe, quod res aliqua nova sit, & insolita, atque causae ignorantiam indicans. Joh. 15. v. 18. 19. coll. 1. Joh. 3. v. 13.

§. III.

Cum itaque miraculum a mirando dicatur, quid illud vi vocis significet, facile intelligitur, illud nempe, quod insolitum est, & causas nos latentes habet, quod etiam alias mirum & mirabile dicitur. Hocque modo miraculum accipit Augustinus, \* quando miraculum voco, inquit, quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. Sic igitur & ea miracula dici possunt, quae juxta ordinariam naturam, seu quod idem est, rerum & causarum secundarum in hoc universo omnium, cursum sunt, quia plurima insolita contingere phœnomena usu docemur, quorum tamen causae plurimos latent, imo ab eruditorum paucissimis, & recte fortassis a nemine

\* *Lib. de Utilitate credendi cap. 16.*



cognoscuntur; ut adeo omnia naturæ mysteria, quæ a Philosophis & Mathematicis imprimis docentur, quæcunque ad magiam ut vocant naturalem spectant, omnia quoque in quibus ob singularem causarum secundarum directionem, singularis providentia divina e-lucefcit, inter miracula saltem hujus vel illius respectu recte referantur, imo nec præstigiæ diabolicæ & sensuum deceptiones ex eorum numero excludantur. Communiter tamen a Theologis miraculi vox non nisi strictius sumitur, ut eos saltem indicet effectus raros, qui supra naturam sunt, ejusque ordinem, quem nempe causæ secundæ in suis effectibus producendis observant, quemque DEUS naturam formans ei præscripsit, adeoque, quamvis improprie, naturæ leges dixeris, \* transcendent. Eam inter mirabilia & miracula faciunt distinctionem, ut omnia miracula sint quidem mirabilia, non autem omnia mirabilia sint miracula, ut mira saltem hujus vel illius respectu mira esse possint, quibus ea sunt insolita, aut causâ incognita, miracula vero omnibus miracula existant, ut mira etiam per vires naturales patrari possint, si singularis saltem causarum secundarum directio accedat, quæ difficulter cognoscuntur, & effectum inusitatum prodire faciat, miraculum autem omnes naturæ vires excedat. Miraculum adeo in strictiori significatione effectus est inusitatus, in cujus productione ordinariæ naturæ leges suspenduntur.

## §. IV.

Quando scilicet in universi hujus machinam oculos nostros at-tenti defigimus, varias sane, easque sapienter constitutas detegere nobis licet leges, quibus si nullum aliunde obstaculum naturale ad-fuerit, ordinaria naturæ phænomena perpetuo esse adstricta obser-vamus. Ita plurimorum seculorum experientia docet, corpora mun-di totalia juxta definitas leges ita moveri, ut stellæ ab oriente per meridiem in occidentem quotidie directe ferri, & nunquam retro-cedere, motu vero proprio in Orbitis ad æquatorem obliquis incede-re & certo atque definito tempore cursum suum absolvere videantur. Unde & futura cœli Phænomena prædicere iis licet, qui sunt Astrono-mi,

\* Vid. Job. Musæus in *Introd.* pag. 397. seqq.



mi, hoc est, tales qui leges, juxta quas astra moventur probe per-  
spectas habent. Quando radii lucidi ex diaphano tenuiori in densius,  
& ex densiori in tenuius incidentes, refringuntur, aut ad objectum  
aliquod opacum offendentes, reflectuntur, refractio ista & reflexio  
ex certis legibus contingit, quas Optici solícite explicare solent.  
Corpora gravia deorsum feruntur, sed ita, ut spatia descensus tempori  
certo modo respondeant, ut densiora fortiolem nisum habeant, quam  
rariora, ut corpus specificè levius in fluido graviore mergatur, non sub-  
mergatur, &c. adeoque ex legibus definitis, quæ in Staticis prolixè  
exponuntur. Imò dantur hujusmodi leges universales; juxta quas  
omnia corpora moventur, quæ generales leges motus dicuntur, &  
a nonnullis ad has tres generalissimas, ex quibus reliquæ derivari  
possunt, revocantur: Corpus, quod movetur, ab alio movetur,  
corpus in motu positum, motum, ob viis corporibus, si molis non sint  
ingentis, communicat; corpus in motu positum in motu semper per-  
sistit, donec motum alteri corpori communicat, in quibus omnibus  
accuratius explicandis & determinandis recentiori in primis ævo viri  
eruditissimi desudarunt. Quod si itaque contingit, ut talis effectus  
prodeat, qui, cum rarus sit & inusitatus, juxta hujusmodi naturæ  
leges non producitur, ille miraculum in sensu strictiori & proprio  
nuncupatur. \*

### §. V.

Cum enim miracula in strictiori sensu soli DEO tribuantur, juxta  
illud Psalmistæ: Benedictus Dominus DEUS; DEUS Israël יְהוָה  
נִפְלְאוֹתָיו לְבַרְרֵי faciens miracula solus Pf. 72. v. 18. mirabilia au-  
tem,

\* Hanc miraculi notionem post Bernhardum Connorium in Evangelico  
Medici de suspensis naturæ legibus sive de miraculis, qui ob ad-  
mixtas quasdam hypotheses Malebranchianam imprimis de causis  
occasionalibus non in omnibus probandus, Job. Franciscus  
Buddeus in Elementis Philosophiæ Theoreticæ P. 5. cap. 2. elegantè  
exposuit. Add. Godofr. Gvil. Leibnizii Essais de Theodicée in dis-  
cursu præliminari de conformitate fidei cum ratione pag. 4.



tem, quæ naturæ cursum non transcendunt a creaturis fieri queant, cœu quotidiana docet experientia, manifestum satis est, miracula in sensu proprio esse supernaturalia, inque iis naturæ leges suspendi. Licet namque illæ sint in suo genere optimæ, cum alias DEUS pro sapientia sua mundum optimum condens, Gen. I. v. 31. eas naturæ non dedisset; non tamen sunt necessitatis indispensabilis, ut nullo modo, nec divina potentia præter eas aliquid fieri possit. Earundem enim suspensio nullam contradictionem involvit ne apparentem quidem, multo minus veram, adeoque absolute impossibilis non est, quod verò absolute impossibile non est, per potentiam DEI utique fieri potest. Παρά τῷ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστίν. Quicquid sub voce πάντα comprehendi potest, quicquid aliquid saltem in intellectu divino ut possibile repræsentatum est, illud DEO possibile est. Matth. 19. v. 26. Salva quoque Sapientia sua DEUS præter has sapientissime constitutas leges facere potest. Licet enim ea exegerit, ut naturæ leges has & non alias dederit, quia id, quod juxta eas fit ad perfectionem hujus universi magis facit, quam illud: quod præter eas possibile est, in casibus tamen quibusdam specialibus causæ speciales, amplificanda divina gloria, conversio hominum promovenda &c. esse possunt, quæ accedentes faciunt, ut id quod fit præter & supra leges naturæ datas sit melius eo, quod juxta easdem contingit. Sicque DEUS salva sua sapientia casus quosdam speciales eximere & sibi reservare potuit, in quibus ordinariæ naturæ leges suspendendo miracula ederet. Nec ulla hic decreti divini mutatio metuenda, quasi DEUS, quod semel decrevit, immutaret, si præter naturæ semel constitutæ ordinem in miraculis operaretur. DEUM enim decrevisse, ut in omni casu sine ulla restrictione & limitatione universales naturæ leges locum haberent, unde probabitur? Ab eo sane aternitatis puncto, quo certas naturæ leges sancire decrevit, ab eodem etiam hos vel illos casus speciales eximere potuit. Si itaque nunquam voluit, ut in casibus extraordinariis ordinariæ naturæ ordo observaretur, nec ulla decreti divini mutatione ad miracula opus esse intelligitur. Hinc etiam Theologi nostri DEUM miracula producere dicunt præter & supra naturæ leges, non contra easdem \* & qui hoc dicunt ἀνερολογίας accusant,

\* *Museus in Introd. pag. 396. Kromayerus in Theologia Positivo-Polem. Art. 2. Thesi 10. pag. 145. &c.*



cusant, quia naturæ leges ad casus extraordinarios miraculorum non spectare supponunt. Prolixius hæc omnia excuteremus; & contra eos, qui miracula pro extraordinariis saltem ignotæ cujusdam naturæ effectibus habent, contra Benedictum Spinozam, \* Joh. Lockium, \*\* Nehemiam Grewium, \* quibus, qui cum Peirerio, Clerico, Hardtio, Observatoribus Halensibus, aliisque miracula in Scripturis consignata, juxta naturæ leges explicare conantur, aut saltem nonnulla scripturæ verba ita exponunt, ut quædam miracula eliminent, quodammodo opem ferunt, vindicaremus, nisi nos instituti ratio ad controversiam Pontificiam revocaret.

§. VI.

Ad hanc dum revertimur, ut omnis Logomachia absit, initio statim, qua in significatione Pontificii miraculi vocem accipiant, quando a Luthero miracula exigunt, quamque præcise sententiam teneant, accurate observandum. Sumunt videlicet miraculum in significatione propria & strictiori, quæ s. 4. & 5. explicata & confirmata est. Ita Bellarminus de miraculis, quæ Ecclesiæ notam esse, & ex Ecclesia Lutherana exulare docet, expressè dicit, quod vires omnium creaturarum superent, & ideo omnibus creaturis mirabilia sint. Ejusmodi miraculum proprie dictum a Luthero postulant, aut potius volunt, ut si ipsi assensus dari debeat, miracula indicentur, quæ DEus per Lutherum, seu quod idem est, quæ Lutherus, *ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ*, seu de Petro claudum solo verbofanante dicitur, Act. 3, 6. in nomine invirtute DEI produxerit. Nimirum ex iis quæ de miraculo proprie dicto hætenus disserimus, manifestum est, quod illud solus DEus efficere possit. DEus solus naturæ leges dedit, & ordinem, quem causæ secundæ operantes in hoc

\* *In Tract. Theol. Polit. Cap. VI. pag. 77.* \*\* *In Tract. de miraculis ejus operibus Posthumis Londini Anno 1706. anglicano sermone editis inserto, itemque ejus Opusculis variis, quæ Rotærodami Gallice An. 1710. prodierunt. Conf. Act. Erudit. Lips. Anno 1708. pag. 43.* \* \* *In Cosmologia S. anglicano sermone scripta Lib. 4. cap. 5.*



universo observant, præscripsit, quippe qui est autor naturæ, & creator universi, qui diem facit & noctem, qui luminare & solem dirigit, qui facit æstatem & hyemem &c. Psal. 74. v. 16. 17. Oppido ergo patet, quod præter DEum nemini universales naturæ leges suspendere liceat, consequenter DEus solus miracula producere possit. Unde Magi Ægyptiaci, cum non possent omni virtute sua magica pediculos efformare, vera miracula digitorum DEI declarare confitebantur. Exod. 8. v. 15. h. e. potentiam DEI, quo in sensu digitus DEI accipitur, quando cæli vocantur opera digitorum DEI Pl. 8. v. 4. & à Christo *δακτύλω θεῶν* dæmonia ejici dicuntur Luc. 11. v. 20. Placebat adeo DEO optimo Maximo, cum Mosen, Prophetas & Apostolos ad prædicandum verbum suum emitteret, miracula propriè dicta per eos producere, quæ cum nullæ creatæ virtuti possibilia essent, divinam indicarent virtutem, adeoque & verbi prædicati divinam originem, propter quam fides ei adhibenda declararent. Cum itaque B. Lutherus Ecclesiam Romanam reformans verbum DEI prædicando totum ferme Orbem commoverit, ut etiam per ipsum pro hac doctrina, quam prædicabat stabilienda, assensuque impetrando facta divina miracula indicentur & ostendantur, Papæ exigunt.

### §. VII.

Hoc vero quando Pontificii postulant, lubenter iis concedimus B. nostrum Megalandrum nullis miraculis propriè dictis inclausisse. Impudentissimus quidem sit oportet, qui specialem DEI providentiam in illustri Reformationis Opere non agnoscat, dum omnes ejus circumstantias rite secum ponderat; quod inermis monachus, Papam, qui Regum terror & mundi stupor erat, minas spirantem, anathematis fulmina vibrantem, & supera inferis miscentem ita aggressus sit, ut Regnum ejus haud mediocriter convelleret, adeoque id præstiterit, quod potentissimis Imperatoribus & Regibus, qui diu de coercenda Potestate Pontificia deliberaverant, haud possibile fuerat, quod ipse interim ex tot, tantorumque potentissimorum hostium insidiis, istis præsertim, quæ in Comitibus a Cæsare Wormatiæ indictis, interitum ipsi minabantur, evolans, incolumis ad finem vitæ permanferit, quod stupendum reformationis opus  
hero-



heroico spiritu & donis omnino singularibus instructus feliciter confecerit, quod doctrina Evangelica tam subito per plurima regna & provincias propagata inter sævissimas etiam persecutiones hucusque conservata floreat.\* Hæc tamen omnia miracula saltem sunt in latiori significatione, seu mirabilia, quod ex §. 3. intelligitur, nihil vero horum ita se habet, ut Naturæ leges transcendat, & proprie dicti miraculi nomine insigniri queat. Narrantur etiam de Luthero nonnulla, quæ miraculi proprie dicti speciem habere videntur. Ita Mathesius \*\* ex ore Lutheri recenset, ipsum veneni plurimum concoxisse, divinitus præservatum, ne ullum ex eo contraheret nocumentum. Gerhardus\*\* ex Spangenbergio refert, quod Doctor quidam Medicinæ in Polonia pecuniis abeius loci Episcopis illectus retia sua Witebergæ vicinisq; in locis A. 1523. ad capiendum Lutherum explicuerit, sed irrito plane successu, quod sæpe etiam illito suggestui toxico manubriisque veneno infectis ipsi insidiæ fuerint positæ, quæ tamen DEo aliter ordinante in nihilum evanuerint. Huc referuntur miraculosæ preces Lutheri, quas pro Friderico Myconio Superintendente Gothano graviter decumbente, Spiritu profus heroico fudit. Cum enim Myconius tabe consumeretur, & morbum suum Luthero notum faceret, hic illi literas misit, his præ aliis verbis nobilitas: Vale Mi Friderice, & Dominus non sinat me audire tuum transitum me vivo. Te superstitem faciat mihi, hoc peto, hoc volo & fiat mea voluntas. Amen! Quia hæc voluntas gloriæ nominis DEI, certe non meam voluptatem nec gloriam quærit. Tanta vero hæc preces efficacia polluerunt, ut ægrotus ad sanitatem reductus sex adhuc annos viveret, & mortuo prius Luthero septima post obitum ejus hebdomade de vita decederet. † Sed & hæc omnia contra Pontificios urgere nolumus, verum potius, cum omnes circumstantiæ nobis satis cognitæ non sint, quæ forte causas quasdam naturales detegere possent, admirandam saltem in iis providentiam DEI specialem laudamus.

B

mus,

\* Legantur quæ hæc de re Lutherus ipse dicit T. 2. Altenb. fol. 120. Add. Saubertus de miraculis Augustanæ Confessionis, Danbæverus in Diss. de memoria Thomasiandri Lutheri renovata itemque Observatio Historica inserta denen unschuldigen Nachrichten A. 1701. p. 215. \*\* Conc. 15. de Vita Lutheri pag. 186. b. \* \* In L. L. de Ecclesia §. 286. † Vid. Lutheri Op. T. 7. Alt. fol. 716.



mus, in primis cum B. Lutherus de dono miraculorum nunquam gloriatur, sed contra illud sibi non esse datum, nec se a DEO illud expetere, expresse fateatur. Ita enim scribit: Ob ich wol der kleinen Zeichen keine gethan habe, die wir, wo es nöthig wäre, vielleicht thun möchten. \* & alibi: Ich wolt nicht, daz ich Gnade hätte Wunder-Zeichen zu thun. Denn welche sich an das Wort nicht kehren, dawieder alle Welt nicht mucken kan, solche werden auch die Zeichen nicht bewegen. \*\* Ob defectum tamen istum miraculorum rubore non suffundimur contra Papæos disputantes: sed potius miracula illa a Luthero nullo jure exigij posse, invictam veritatem esse putamus. Thesis adeo nostra Anti-Pontificia hæc erit: Miracula divina pro dando Luthero Ecclesiam Romanam reformanti assensu per Lutherum facta male exigunt Pontificii.

## §. VIII.

Argumentum pro stabiliendo isto asserto unicum saltem, sed quo plurima, quæ hic dici debent, referri possunt, & omnino invictum proferemus: Quodcunque doctrinam Lutheri veram esse haud sufficienter probaret, imo prorsus suspectam redderet, cum interim aliunde veritas illa certius, imo certissime ostendatur, illud Pontificii pro dando Luthero assensu male exigunt: Atqui miracula divina per Lutherum facta doctrinam Lutheri veram esse haud sufficienter probarent, imo prorsus suspectam redderent, cum interim aliunde veritas illa certius, imo certissime ostendatur, Ergo miracula divina per Lutherum facta pro dando ei assensu male exigunt Pontificii. Majorem adeo certam putamus, ut nemo nisi despiat, eam negare possit. Qui propositionem aliquam Euclidean ex genuinis Geometriæ principiis demonstratam videt, absurdus sane esset, si veritati assensum denegaret, nisi ea argumento aliquo probabili e. g. hujus vel illius testimonio confirmaretur. Et ut quis citra necessitatem id faciat, quod ipsum in mendacii suspicionem adducit, nemo prudens efflagitabit. Nec credo quenquam inter Pontificios fore, qui de infringenda hac majori propositione meditaretur; sed in minori talia occurrunt, quæ ipsi paradoxa vel prorsus absurda videntur. Unde eandem quoad singula membra exquisitis rationibus uberius confirmabimus.

## §. IX.

\* T. 2. Alsenb. fol. 120. \*\* l. c. fol. 885.



§. IX.

Initio ostendendum, quod si miracula divina Lutherus edidisset, ea tamen doctrinam Lutheri veram esse sufficienter, h. e. ita, ut dubitationi nullus locus relinquatur, probare non potuissent. Videamus enim probationem, quæ pro veritate alicujus doctrinæ ex docentis miraculis divinis adferri queat; ea vero hæc est: Quæcunque doctrina veris miraculis confirmatur, ea est vera, atqui hæc vel illa doctrina &c. Ergo. Majorem ita probat Bellarminus: Vera miracula non possunt fieri nisi divina virtute --- & propterea etiam in Scripturis dicuntur testimonia Dei. Quare quod miraculo confirmatur DEi testimonio confirmatur, DEus autem non potest esse testis mendacii, igitur, quod miraculo confirmatur verum sit, necesse est. Quæ in hoc discursu proponit, satis bene se habent, & ex parte a nobis in antecedentibus fuerunt confirmata, nisi quod illud adhuc quibusdam dubium esse possit, an miracula DEi virtute facta semper sint testimonia DEi, de veritate nempe doctrinæ ejus, qui miraculum edidit. Etenim William Fleetwood \* quem Christianus Thomasius \*\* sequitur, ipsos magos Ægyptiacos miracula vera virtute divina produxisse statuit, ex intentione divina hunc in finem, ut ipsi, qui alias talia miracula edere non poterant, virtutis alicujus supernaturalis, quæ longe major quam dæmonum, longeque potentior esset, quam ut Pharao ei resistere posset, certiores fierent, eandemque in se ipsi experirentur. Quod si verum esset, miracula sane divina testimonia doctrinæ veræ miracula facientis non semper fuerunt. Licet vero sententiam Fleetwoodi nullo modo approbemus, cum nos non lateat, quam lubricis ea innitatur principiis, \*\*\* quamdiu tamen omnimoda impossibilitas & absurditas sententiæ istius demonstrata non est, tam diu dubium aliquod remanet, quod probationis sufficientis, & demonstrationis naturam jam evertit. Sed mittamus, quæ minoris sunt momenti, & concedamus propositionem majorem; circa minorem autem, de qua Bellarminus sollicitus non fuit, dubium ma-

B 2

ximum

\* *In investigatione solida miraculorum ex Anglicano sermone in Germ. translata pag. 33.* \*\* *In Cautelis circa præcognita Juris prudentiæ Ecclesiasticæ cap. 6. §. 3 in notis.* \*\*\* *Vid. Job. Ulricus Henrici im mächtigen und ohnmächtigen Teuffel, sv. in examine investigationis miraculorum Fleetwoodi pag. 39. seqq.*



ximum occurrit, quod vim argumenti demonstrativam omnino infrin-  
git. Quando nimirum, qui doctrinam aliquam proponit, eandem mi-  
raculis proprie dictis confirmat, alter ex solis miraculis certus esse non  
potest, an miracula illa sint vere divina, an vero miri saltem naturæ effe-  
ctus, aut diabolicæ præstigiæ, quæ miris quidem, non autem miraculis  
annumerari debent. Ex Scriptura certe constat, falsos Doctores ta-  
lia edere, quæ veri miraculi speciem mentiuntur. Cum surrexerit  
in medio tui, dicit DEus per Mosen, Propheta vel somnians somni-  
um, & dederit tibi signum, vel portentum, & venerit signum & por-  
tentum quod locutus est ad Te dicendo: Eamus post DEos alie-  
nos &c. Deut. 13. v. 1. 2. De falso loquitur Doctore, qui ad idolo-  
latrariam seducit, & tamen ei מוֹרָא & מוֹפֵת tribuit, quas voces  
alias de miraculis usurpari notum est. Sic Magi Ægyptiaci talia  
producebant, quæ Mosis miraculis ferme videbantur similia, cum  
virgas in medium projectas in serpentes, & aquam in sangvinem  
commutarent, ranas vero ex aquis producerent. Ex. 7. v. 12. & 22.  
cap. 8. v. 3. Huc pertinent prodigia pſevdo-Christorum, pſevdo-  
prophetarum, & Anti-Christi a Christo & Apostolis prædicta, de  
quibus paulo post plura dicemus. Præterea ex Historia Ecclesiasti-  
ca novimus, inter ethnicos, Turcas & hæreticos quosdam fuisse,  
qui falsis miraculis inclaruerunt. Notissima sunt, quæ de Apollonio  
Tyaneo Philosopho Pythagorico narrat Philostratus, quod adolescen-  
tem dæmoniacum liberavit \* quod puellam sponsam circa nuptiarum  
tempus mortuam excitaverit, \*\* quod in Concilio coram Impe-  
ratore Domitiano invisibilis factus evanuerit, \*\*\* quod dum Ephe-  
ſii vitam ageret, & forte in multitudine disputaret, ea ipsa hora,  
qua Domitianus interfectus, cadema absens cognoverit, eandemque  
Ephesiis, cum nondum omnes Romæ scirent notam fecerit. † Vespasi-  
anum cæco visum restituisse, aliumque, qui manu æger erat, sanasse,  
Tacitus †† refert, & nisi nos Ælius Spartianus ††† fallit, scemina  
cæca ab Adriano sanata est, imo cæcus quidam natus Adriani febrien-  
tis corpus tangens visum subito recuperavit. Actius Navius Augur  
Floro teste \* spectante Tarquinio Prisco Rege, novacula cotem præ-  
cidit,

\* *In Vita Apollonii Lib. 4. c. 6.* \*\* *Lib. 4. c. 16.* \*\*\* *Lib. 8. cap. 2.*  
† *Lib. 8. c. 10.* †† *Lib. 4. Histor. p. m. 611.* ††† *In vita Adriani*  
*f. m. 144. in Vita Caesarum.* \* *Lib. 1. cap. 5.*



cidit, quo factum est, ut & a Rege, & populo semper in rebus dubiis consuleretur. Quod ad Muhammedanos attinet, Ahmet-Ben Abdala\* ad integrum prodigiorum Muhammedis librum provocat, & Religiosi Turcarum plurima miracula tum vivi tum mortui facere dicuntur. \*\* Inter hæreticos multos fuisse, qui ut hæresi suæ autoritatē conciliarent, fictis miraculis mundum deceperunt, varii Scriptores confirmant. Ita Simon Magus, ut ex Anastasio Nicæno Baronius \*\*\* recenset, statuas ambulare faciebat, in igne volutatus non exurebatur, in aëre volabat, & ex lapidibus panes faciebat. Serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur: duas habebat facies: in aurum convertebatur: fores clausas aperiebat: vincula ferrea solvebat: in conviviis exhibebat spectra formarum omnis generis. Vasa quæ erant in ædibus, faciebat videri tanquam quæ sua sponte moverentur ad ministerium, iis qui portabant non visis: Efficiebatque, ut multæ umbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas mortuorum. Multos autem tentantes eum dicere præstigiatores, cum eos esset allocutus, & inde convivii prætextu bovem sacrificasset, & convivio excepisset, variis morbis & dæmonibus subiecit. A Cæsare aliquando quæsitus, & territus aufugit, sua forma alii imposta. De Marco Valentini discipulo Ireneus, † cujus tempore impostor grassabatur, scribit, quod invocationis sermonem extendens vinum album poculo infusum rubidum apparere fecerit, ut gratia ab iis, quæ supra universa sunt, sanguinem suum per ipsius invocationem in Poculum stillare videretur. Poculum quoque majus ex minori implere videbatur, ut superflueret. Firmilianus †† mulieris meminit, quæ aspera hyeme per nives ibat, nec vexabatur aut lædebatur discursione illa, aliaque portentosa & mirabilia perficiens multos seducebat. Macedonius hæreticus multos a morte sua morbis liberavit,

B 3

cumq;

\* *In Epistola, quam Zacharias Grapius cum notis & animadversionibus Theologico-Criticis edidit pag. 59.* \*\* *Conf. de miraculis Muhammedanorum Gregorius Abul Pharajus de Origin. & moribus Arab. Sect. 1. a Grapio citatus l.c. in notis. Item Cornelius a Lapide in Comm. ad Apoc. 13. v. 11. nec non Septemaltrensis. Lib. de moribus Turcarum cap. 14. a Gerhardo laudatus in L. L. de Ecclesia §. 273.* \*\*\* *Annal. T. 1. A. 68. §. 22. † Lib. 1. adversus hereses cap. 9. Conf. Epiphanius Lib. 1. adversus hereses T. 3. Her. XXXV. †† Vid. Baronius A. 237. §. 8.*



cumq; jam esset in sepulchro condendus, antequam id fieret, sublata dextra manu, crutis signo sepulchrum obfignavit. \* De Donatistis Augustinus \*\* testatur, non modo, quod visiones sine teste jactarent, ceu eundem Bellarminus explicare conatur, sed & quod mirabilia fecerint, unde eos mirabiliarios vocavit. Similiter Ariani sua jactant miracula, quæ Christophorus Sandius \* \* \* solícite annotavit. Patria quoq; historia hominem nobis sistit Fanaticum & blasphemum, propter horrendas blasphemias, dum se DEum Patrem in terra visibili modo representare dixit, adulteriũ quoq; & magiam A. 1636. hic Regiomonti supplicio affectum, qui jussu suo effecit, ut Sol in Orbem subito moveri, & stellæ tam erraticæ quam fixæ locum ordinarium mutare viderentur. ††† Quoties itaque vera doctrina veris miraculis confirmatur, præfractus adversarius semper regetet, ea forte talia esse, qualia falsi Doctores ad falsam doctrinam stabiliendam produxerunt, quæ non sunt vera miracula, sed talia saltem apparent. Equidem de verorum miraculorum indiciis, & quomodo ea dignosci queant, plurimi egerunt, † ea tamen, quæ ex miraculis solis, non vocata in subsidium ipsa doctrina, quæ per miracula confirmatur, petuntur, minus certa videntur. Quæ in externos sensus incurrunt, ex quibus, si ex miraculo solo de eodem judicare volumus, judicium ferre oportet, in miraculis veris & apparenter talibus eadem esse possunt, & idem effectus v. g. facere, ut aliquis super aqua ambulet, potest esse miraculum, si suspensis naturæ legibus fiat, & non miraculum, si secundum naturæ ordinem fiat. Quis enim eorum, qui Diaboli saltem operationes in corpora concedit, negaret, eum hominem super undis ratione quadam non supernaturali sustentare posse? cum autem Christus Petró super undis ambulandi potestatem concederet Matth.

14.

\* Baronius A. 515. §. 50. \*\* Tr. 13. in Job. circa finem § Lib. de unitate Ecclesie cap. 16. \* \* \* In Nucleo Historie Eccles. pag. 176. 312. 355. Sc. ††† Vid. Harknoch in der Preuss. Kirchen-Historie pag. 586. seqq. itemq; Theatrum Europæum T. 3. ad A. 1636. fol. 720. seqq. † Vid. B. Danhauerus Meler. de miraculis veris falsisq; §. 15. seqq. Eduardus Scillingsteus in Originibus Sacris Lib. 2. cap. 3. Joh. Henricus Heideggerus in corpore Doctr. Christ. Lib. 7. §. 34.



14 v. 29. verum illud miraculum fuisse suspensis naturæ legibus productum, non dubitamus. Nimum certe sibi tribuere videtur Buddens, \* quando Ægyptiorum magorum portenta præstigias fuisse ex ipsis effectis se demonstrare posse putat, ex indole nempe eorum, quæ perpetrare & non perpetrare potuerunt, si saltem sigillatim expenderentur. Id sane nobis nunquam persuadebit, nec enim videmus, cur magis possibile sit virgas in serpentes, aut aquam in sanguinem mutare, quam pediculos oculis intuentium objicere. Posito interim, plurimas præstigias, & deceptiones detegi posse, non tamen propterea sequitur: Ergo omnes intelligi possunt. Unde semper dubium remanebit, annon ea etiam, quæ videmus, præstigiis, deceptionibusque annumerari debeant. Multa experimenta, quæ hodie viri docti instituunt, ita se habent, ut ante aliquot secula, cum Physica non adeo esset exulta, pro supernaturalibus effectis haberi potuissent. Nos minimam saltem minimæ particule hujus universi partem cognoscimus, quomodo ergo ea omnia, quæ juxta naturæ ordinem fieri possunt, aut non possunt, nobis scire licebit? Qui Regulam non exacte novit, nec, an aliquid Regulam excedat, intelligit: cum itaque limites potentie finitæ juxta naturæ leges operantis nesciamus, neque quid limites illos excedat, & suspensis naturæ legibus fiat, quid miraculum sit, quid non, exacte dignoscemus.

### S. X.

Nec est, ut dicas, ipsos Ecclesiæ Lutheranae Doctores nobis esse contrarios, quando iis, qui cum Spinoza \*\* & Hobbesio \* \* \* miracula non esse veri prophetæ notas asserunt, graviter se se opponunt. † Isti enim intelligunt miracula una cum verbo considerata, quemadmodum ex argumentis eorum, quæ proferunt satis intelligitur; nos vero de miraculis solis loquimur, & ex iis certissimum pro doctrina vera

\* In Hist. Eccles. V.T. Per. 2. Sect. 1. §. 5. pag. 513. \*\* In Tract. Theol. Polit. cap. 6. \* \* In Leviathan cap. 32. † Vid. post alios Zacharias Grapius in Theol. Recens. controversa continuata cap. 2. Qu. 6. & Job. Franciscus Buddens de Atheismo & Superstitione cap. 7. pag. 608. seqq.



vera argumentum peti non posse putamus. Sique forte nonnulli aliam foverent sententiam \* illi argumenta nostra evertant. Audiamus interim magnum nostrum Gerhardum : \*\* Quia diabolica miracula quoad externam speciem cum veris ac divinis conveniunt, licet quoad rem toto cælo differant, ideo periculosum est, ex solis miraculis externis de doctrina velle judicare. Sola externa species miraculi in oculos incurrit, dignotio rei, & diversitatis illius discretio, quæ inter divinum & diabolicum miraculum intercedit, nec oculis nec aliis sensibus est obvia. Fieri ergo potest, ut diabolica miracula ob externam speciem & apparentiam, qua cum veris & divinis miraculis conveniunt pro veris habeantur. Sed porro objici posset, Theologos nostros Ægidium Hunnium \* \* in primis atque Musæum † argumentum pro autoritate Scripturæ S. ex miraculis sumptum magno fervore urgere, adeoque & ipsos doctrinam ex miraculis probare. Verum respondetur : Theologi nostri miracula referunt inter signa & motiva credibilitatis externa, ex quibus divina Scripturæ S. origo, suo modo, ut Musæus loquitur, nobis innotescit. Ea vero pro argumentis demonstrativis nunquam habent, ut contra Huetium Celeb. Michaël Förstchius †† eleganter observat. Argumentum probabile ex miraculis pro doctrina peti, omnino concedimus, sed certum & demonstrativum illud esse, id est, quod negamus. ††† Cæterum Bellarminus excipit, ante approbationem Ecclesiæ utique non esse evidens, an aliquid sit verum miraculum, an vero illusio dæmonis, qui potest facere apparenter maxima quævis ; at ex Ecclesia demonstrari miraculum, quia quando Ecclesia declarat miraculum factum esse verum miraculum, certi sumus, ita esse. Veruntamen Ecclesiæ veritatem pro-

\* *Vid. Val. Ern. Löscherus in Prænot. contra Dogmat. Crass. Prænot. 6. §. 1. It. Unsch. Nachrichten A. 1710. p. m. 623.* \*\* *In L. L. de Eccles. §. 272. Add. Nicolaus Hunnius de Ecclesia Romana non Christiana. §. 148 seq.* \* \* *In libello de Majestate scripturæ Arg. XIII. T. 1. Op. Col. 22. seq.* † *In Introd. pag. 391. seq.* †† *In select. Theol. Breviar. P. Alt. pag. 10.* ††† *Conf. quæ Melchior Leydeckerus dissert. Historico-Theologica de scripturarum autoritate ac veritate pro Christiana Religione Apolog. sect. 19. contra Beckerum disputat.*



probare vult ex miraculorum veritate, miracula vicissim ex Ecclesiæ veritate, quod manifestum circulum indicat. Unde etiam novit Ecclesiæ miraculum esse verum? Cumque ad illud exacte dignoscendum humanæ vires non sufficiant, ut ante probavimus, unde de singulari hac in re privilegio Ecclesiæ Papæis constat? Quod Pontifex Ecclesiæ Romanæ caput miracula vera a falsis discernere nequeat, docet exemplum Magdalenæ Cruziæ in Hispania, quæ diaboli ope, ut ipsa deinde ad meliorem mentem rediens confessa est, multa miracula ficta edidit, a Papa autem propter mira ista tanti habita est, ut ipse se precibus ejus commendarit. \*

#### §. XI.

Sic ergo ex miraculis firmum non posse peti pro doctrina argumentum, evictum dedimus, nunc secundo probandum, quod, si Lutherus miracula edidisset, in suspensionem mendacii falsæque doctrinæ facile incurrisset. In tota enim Scriptura nullus exstat locus, qui nos hinc extremis Ecclesiæ temporibus miracula pro veræ doctrinæ confirmatione expectare jubet. De Psevdo-Prophetis autem & Psevdo-Christis Salvator ipse docet: Surgent Psevdo-Christi & Psevdo-Propheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita, ut si possibile etiam electos in errorem inducant. Matth. 24. v. 24. Similiter de Anti-Christo dicitur, ejus adventum fore καὶ ἐνεργεῖται τὸ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημεῖοις, καὶ τέρασι ψεύδους. 2. Thess. 2. v. 9. Secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacii. Mendacia Apostolus Anti-Christo signa tribuit, non tam ratione formæ, quasi meræ sensuum deceptiones sint futuræ, quam ratione finis, quia ad mendacii & falsæ doctrinæ confirmationem directa, Apoc. 13. v. 13. Bestia facit signa magna, ut etiam ignem faciat de cælo descendere in conspectu hominum, & seducit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere. Si itaque Lutherus miraculis doctrinam suam confirmasset, homines cogitare potuissent, ipsum ex eorum numero esse, qui juxta Christi & Apostolorum prædictionem præstigiis simpliciores decipere volunt. Equidem qui vaticinia ista ad proxima Christo & Apostolis tempora respicere, inque Theuda, Simone Mago, Apollonio Tyaneo &c. impleta dicerent, \*\* hanc conjecturam

C

im-

\* *Hoc ex Zwingeri Theatro fol. 1334. sequ. post Nicolaum Hunnium tr. cit. §. 186. Scherzerus observat in Anti-Bellarmino. Diss. 5. pag. 387. \*\* Vid. Hammondus & Clericus ad ll. c. c.*



improbabiliorem redderent; verum non opus habemus controversiis istis exegeticis h. l. nos immiscere, quia Papæi, contra quos nos disputamus prædicationes istas, in primis in secundo & tertio loco, ad ultima tempora omnino ipsi referunt. Nec est, ut cum Bellarmino excipias, doctorum falsorum portenta esse miracula falsa, apparenter talia, mirabilia; a Luthero autem miracula proprie dicta exigi. Quod enim miracula vera a falsis secerni non possint, si nempe miracula sola respicias, paulo ante clare ostendimus.

§. XII.

Pergamus porro ad membrum tertium propositionis minoris in argumento principali, & Lutherum certius aliunde, quam ex miraculis doctrinam suam probasse ostendamus. Luthero nimirum anica in toto reformationis negotio norma fuit Scriptura S., ex qua semper contra adversarios disputavit, & ex qua convinci voluit, cum hostes cum urgerent, ut Palinodiam caneret. Ipsa Doctorum Ecclesiæ testimonia trutinam Scripturæ esse examinanda, & non nisi ex Scriptura pro doctrinæ veritate demonstrationes adferendas putavit. Ita cum Eccius ipsi exprobraret, quod in Disputatione Lipsiensi de Doctorum placitis irreverenter locutus fuerit, sententiam suam ita exposuit: Es mus neben dir gantz Leipzig mir Gezeugnis geben, dasz ich mich allein auff die Schrift beruffen habe, nicht die Doctores verleugnet in allen Stücken, sondern dieweil sie zuweilen geirret haben, wolte und wil ich sie nicht in allen Stücken halten. Und wo ich einen klaren Spruch der Schrift hätte, da wolte ich allein wieder sie alle stehen, so sie anders schrieben. \* Alibi dicit: Kein Bestand ist unsere Lehre und Glauben zu erhalten, denn das leibliche oder schriftliche Wort, in Buchstaben gefasset. \*\* Item: Die Schrift mus Meister und Richter bleiben, &c. \* \* Hanc autem doctrinam ex Scriptura S. probationem longe certiolem esse, quam quæ ex miraculis petitur, divina veritas confirmat. Ita enim optimus noster Salvator Abrahamum loquentem introducit: Habent Moesa & Prophetas, audiant illos, & si Moesa atque Prophetas non audiunt, neque credent, si quis ex mortuis resurrexerit. Luc. 16. v. 29. 31. Rogaverat nempe dives helluo ad infernū damnatus Abrahamum, quem

\* T. 1. Altenb. fol. 528. \*\* T. 6. Altenb. fol. 270. \* \* \* T. 7. fol. 239.



e longinquo videbat, ut Lazarum jam defunctum ad fratres ipsius mitteret, qui ipsi, ut resipiscerent predicaret, sicque insigne petebat miraculum, resurrectionem alicujus a mortuis, quo vix majus in Scriptura S. occurrit. Sed quid regerebat Abrahamus? Habent Moses & Prophetas, habent scripta Mosis & Prophetarum, quæ Sabbatim in Synagogis leguntur, ut adeo quivis & illiteratissimus ea habeat, \* ex iis discant, quid ipsis faciendum. Sique iis credere nollunt, multo minus credent, si quis per miraculum a mortuis resurgat. Dum itaque Lutherus doctrinam suam ex Scriptura S. demonstravit, longe certius eam probasse censendus est, quam si plurimis miraculis eandem confirmasset.

§. XIII.

Hinc vero ulterius manifestum, quod quarto tandem probandum erat, Lutherum doctrinam suam certissime demonstrasse. Ex Scripturis enim Lutherum dogmata sua probasse diximus, quis autem in Theologia de ejusmodi demonstrationis certitudine dubitaret. Scripturam DEI verbum esse, qui fallere nescit, ipse Spiritus S. in cordibus nostris per ipsam scripturam testatur, qui sermo non est in perfractoris humanæ sapientiæ verbis, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως in ostensione spiritus & virtutis, h. e. qui non movet assensum per argumenta ex sapientia humana deprompta, sed vim demonstrationis solidissimam habet, per potentiam Spiritus Sancti sibi conjunctam 1. Cor. 2. v. 4. conf. 1. Thess. 2. v. 13. Quod argumentum quamvis non valeat πρὸς ἕτερον ad alium convincendum; valet tamen πρὸς ἑαυτὸν ad convincendum ipsum, qui testimonium Spiritus S. in corde suo sentit. Nec opus est, ut in hac probatione prolixi simus, cum ipsi Pontificii, licet ex alio quodam principio, ob autoritatem nempe Ecclesiæ, sine qua, ut Eccius \*\* loquitur, nec DEO crederent, nobis non adferantur, qui autoritati Scripturæ quidem adjunctas ei traditiones non scriptas pari pietatis affectu colentes, multum detrahunt, divinam tamen ejus originem, & veritatem certissimam in dubium vocare non audent. Nihil adeo est, quod ex Pontificiorum mente ad hoc & § præced. allatum argumentum exci-

C 2

pi

\* Conf. Lightfoorus in Horis Talmudicis ad b. h. \*\* cit. Schertzero in Anti-Bellarmino Disputat. 1. pag. 37.



pi queat, nisi dicatur, Lutherum quidem ad scripturam provocare, sed Scripturam non explicare juxta mentem Ecclesiæ, cum tamen non nisi juxta hanc mentem firma fidei regula esse, & solidam demonstrationem generare possit. \* Veruntamen quid intelligunt per Ecclesiam? Omnes uno ore clamant: Ecclesiam hodiernam Romanam. Unde exceptio hæc ita se habet, ut similis contra Christum & Apostolos Ecclesiam Pharisaicam ex Scriptura oppugnantes, æque valere potuisset. Nec opus habebat Lutherus in explicanda Scriptura ad sensum ejus juxta Ecclesiæ mentem respicere, sed eundem per media hermenevtica, ex ipsa Scriptura discere potuit, quemadmodum epistolam aliquam ab amico scriptam legentes eandem ex ipsa epistola intelligimus. Excipiunt quidem Pontificii, scripturam adeo esse obscuram, ut ex ea ipsa sensus ejus erui nequeat, sed responderetur sensum ejus saltem in istis locis, quæ fidem & mores concernunt aut si non in hoc tamen in alio ita clarum esse & perspicuum, ut nulla vel traditionum non scriptarum, vel alicujus Ecclesiæ testimonii accessione ad eum inveniendum opus sit, id quod requirit finis ejus a DEO intentus qui est homines σοφίαις εἰς σωτηρίαν. 2. Tim. 3. v 15. Non placet vero controversiis istis nimis tritis immorari, cum ipsi Pontificii sagaciores propria conscientia convincantur, quorum testimonia Gerhardus \*\* plurima congestit. Diceres forte, Luthero tamen clara ejusmodi & perspicua Scripturæ dicta non suppetuisse, quibus contra Papæos pugnaret; sed contrarium docent, qui ex sola scripturæ lectione papisticos errores & Evangelicæ doctrinæ veritatem agnoverunt quamplurimi, quorum imprimis spectat, Illustre exemplum Jacobi Reihingii, qui provincia sibi stilum contra Protestantem stringendi a Papæis demandata, ne malam causam proderet videretur, ex sacrarum literarum monumentis contra eos disputare, Papatumque ex ipsa Scriptura firmare ausus est, sed clarissima Scripturæ litera ita convictus, ut Evangelicam veritatem amplecteretur, quam deinde Tubingæ docuit. \*\*\* Nisi clarissima Scripturæ litera doctrinam Lutheri Evangelicam confirmaret, cur tanto studio Papæi in controversiis suis sacrarum

\* Vid. Bellarminus de verbo DEI Lib. 1. cap. 1. \*\* In conf. Catbol. fol 414. sequ. \*\*\* Vid. Theophilus Spizelius in templo Honoris referato pag. 95. sequ.



crarum literarum divina testimonia declinarent? Audiamus autem Albertum Pighium Ecclesie Romanae Cardinalem: \* Si hujus doctrinae quod nempe cum haereticis non sit disputandum ex scripturis, memores fuisset, meliore sane loco essent res Christianae, sed dum ostentandi ingenii & eruditionis gratia, cum Lutero in certamen scripturarum descenditur, excitatum est hoc, quod videmus pro dolor! incendium. Similiter cum Galliae Rex Theologis aliquot menses largitus esset, intra quos de purgatorio sententiam scriptura docerent, responderunt tandem, adversariis non esse porrigenda tela, quae postea retorqueant \*\* Quorsum etiam tendunt plurimae istae methodi, quibus Pontificii nobiscum disputantes utuntur? Veronianismus, Walenburchianismus, Keddianismus, \*\*\* methodus disputandi per praedicia, † methodus praescriptionis †† &c. nisi ut nos

C 3

a scri-

\* *Lib. 1. Hier. Ecclesiast. cap. 4. fol. XVI. a.* \*\* *Vid. Sleidanus Comment. de Statu Relig. & Reipubl. lib. 9. pag. 242.* \*\*\* *Leg. Scherzerus in Anti-Bellarmino Disp. 1. pag. 18. sequ.* † *Hanc methodum, qua missis controversiis specialioribus, generalioribus quibusdam argumentis, quae praedicia dicunt, pugnatur, addibet Nicolius in Tractat. Prejuger legitimes contre les Calvinistes, qui Job. Claudio la Defense de la Reformation contre le livre intitule: Prejuger legitimes &c. Petro Jurio autem tractatum: Prejuger legitimes contre le Papisme extorsit. Examinavit quoque Nicolii hypotheses Michael le Vassor in Traite, de la maniere d'examiner les differens de Religion Cap. 2. Praedicia etiam contra protestantes confirmare conatus est Jacobus Benignus Bossuetus, quando ex variationibus, subtilitatibus, equivocationibus & artificijs protestantium Ecclesiarum haereticos Characterem demonstrare vult in Histoire des variations des Eglises Protestantes. Jacobum Basnagium, adversarium natum, qui ei l'Histoire de la Religion des Eglises Reformees opposuit †† Juxta hanc quae specis merito methodi prioris dicitur ante omnia demonstratur, separatos esse ab Ecclesia Protestantibus, & ex hoc fundamento dogmatum falsitas evincitur. Ea utitur Antecourtius in defense de l'Eglise, contre le livre de M. Claude intitule; La defense de la Reformation &c.*



a scriptura abducant, quam manifesto pro nobis facere, ex clarissima litera intelligunt. Plura hac de re dabunt, qui specialiores theses Antipapificas exposuerunt, qui videantur.

§. XIV.

Probata hactenus sententia nostra contra Pontificios, argumentoque pro eadem secundum singula membra confirmato, nunc porro videamus, quid Papæi miracula a Luthero exigentes nobis objicere solent. Primo dicunt: Quicumque novam fidem proponit, ille eandem debet confirmare miraculis. Atqui Lutherus &c. Ergo. Majorem probant exemplo Moſis, qui cum populo Israëlítico indicaret, quod jussu DEI, ipso Duce, cui DEus ipse apparuerat, ex Ægypto exire deberet, novæ hujus propositionis veritatem variis miraculis confirmabat. Exod. 4. It. exemplo Apostolorum, qui Jesum hunc, quem viderant Nazaranum verum Messiam esse prædicantes, hujus doctrinæ divinitatem multis miraculis declarabant. Matth. 10. v. 7. 8. Marc. 16. v. 20. Imo ipſius Christi, qui maximis miraculis inclaruit, expresse dicens: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Joh. 15. v. 24. Minorem exinde confirmant, quia doctrina Lutheri cum tota antiquitate pugnat, aut saltem Lutherus aliter docuit, quam tunc ordinarii pastores docere consueverunt. Verum si utramque objectionis propositionem ita probatam attente nobiscum expenderitimus, alteram vacillare, alteram omnino falsam esse tuto asseveramus. Quod ad majorem attinet, negare quidem non possumus, ipsum Lutherum eandem fovisse sententiam, quæ in ea exprimitur. Ita nimium, voluit, ut à Münzero miracula exigenterentur, quia DEo proprium atque familiare, quoties formulam consuetam, & rationem ordinariam vellet immutari, ut tum voluntatem suam aliquo signo declararet. \* Similiter miracula a Carlstadio petiit cum hic novellis Prophetis sese associans dogmata fanatica propagaret: Sol solch sein Frevel, inquit, aus innerlichem Ruffen Gottes geschehen seyn, so ist's Noth, daß ers mit Wunder-Zeichen beweise, denn Gott bricht seine alte Ordnungen nicht mit einer neuen, er thue denn grosse Zeichen dabey. Darum kan niemand gläuben, der auf seinen Geist und inwendig Fühlen sich berufft,

\* *Sleidanus de statu Relig. & Republ. Lib. 5. pag. 115.*



rufft, und auswendig wieder gewöhnliche Ordnungen GOTTES tobet, er thue denn Wunder-Zeichen dabey, wie Deut. 18 Moses anzeigt. \* Idem sentit Augustinus, quando necessaria fuisse putat miracula, ut mundus crederet \*\* item Gregorius M. \*\*\* qui miracula in exordio Ecclesiæ necessaria fuisse dicit, ut multitudo ad fidem cresceret: thesin tamen istam ex allatis Moſis, Christi & Apostolorum exemplis satis solide probari, id est, quod omnino negamus. Ea saltem ostendunt DEum quandoque confirmandæ doctrinæ novæ ut cum Pontificiis ita loquamur, miracula addidisse, at vero quod semper ad eandem stabiliendam portenta accedere debeant, juxta regulas Logicas exinde vitiose colligitur. Miracula, si pro nova doctrina fiunt, haud parum prodesse, & ut Chrysoſtomus \*\*\*\* ait, *χρησιμους* utiliter fieri, lubenter concedimus, quippe quæ non modo probabili ratione quadam divinam doctrinam indicant, ceu jam ante monuimus, sed & inprimis homines, quorum indoles est, ut rebus novis facile alliciantur, excitant, ut verbo prædicato eo magis attendant. Imo de miraculis Christi & Apostolorum omnino affirmamus, quod certo respectu necessaria fuerint, ut nempe impleretur scriptura, quæ eadem prædixerat. Esa. 35. v. 5. Joël. 2. v. 28. Unde & Christus, quando ad opera sua provocat, & propterea sibi credi vult, ista, non tam ut miracula, quam ut complementa vaticiniorum de vero Messia respicit. Joh. 10. v. 38. Sed miracula ad doctrinam novam simpliciter esse necessaria, hancque sine illis accipi non posse, concedi nequit, cum verbum DEI vivum sit, & efficax, quod de se ipso autoritateque sua divina sine ullis miraculis certissimum testimonium perhibere potest. Ebr. 4. v. 12. Hinc & Johannes Baptista magno cum applausu novam stylo Pontificiorum doctrinam de JESU Nazarano vero Messia prædicabat, licet miraculis eandem non confirmaret, saltem non talibus, quæ manifesta & nota populo doctrinæ suæ veritatem persuadere poterant. Populus enim ipse dicebat, Johannem nullum edidisse signum. Joh. 11. v. 41. Christus quoque increpat illos, qui non credunt, nisi signa & miracula videant. Joh. 4. v. 48. Hæc sunt, quæ ad majorem regeri possunt, sed *πρωτον φεudos*, ut diximus, in minori latet propositione.

Quod

\* T. 3. *altenb. fol. 53.* \*\* *Lib. 22. de Civit. DEI cap. 8.* \*\*\* *Homil. 29. in Evang.* \*\*\*\* *Homil. 6. in 1. Cor. col. m. 56.*



Quod enim Papæi uno ore clamant, Lutherum novam quæ piæ antiquitati contradicat, doctrinam excogitasse, falsissimum est, quia Megalander noster in omnibus controversis Scripturam sacram normam agnovit, adeoque nihil proposuit, quod antiquissimæ V. & N. T. Scripturæ miraculis dudum confirmatæ conforme non esset. Consensum etiam Ecclesiæ Protestantium cum antiquissima Ecclesia Judaica, eleganter, si pauca exceperis, ostendit Jacobus Sponius, \* cum De-la-chaisius Religionem novitates sectantem ipsi ut viro in antiquitatibus versatissimo exprobrasset. Quod si dicant Papæi, Lutherum tamen aliter docuisse, quam tunc ordinarii Pastores docebant, id quidem utique concedimus, sed exinde novitas Doctrinæ Lutheri probari nequit. Sensum nimirum ab orthodoxa antiquitate defecerat Ecclesia Romana, postquam cultum imaginum, invocationem sanctorum, & angelorum, usum lingvæ incognitæ in cultu publico, cœlibatum Clericorum, communionem sub una &c. defendere cœpit, quæ omnia in prima antiquitate omni fundamento destituuntur. Licet namque defectionis tempus & locus non semper adeo exacte indicari queat, quod Romanæ Ecclesiæ scriptores urgere solent, sufficit tamen, defectionem ipsam, confendo dogmata Papæorum cum Scriptura S. clare posse ostendi.\*\* Lutherus itaque, cum aliter, quam reliqui Pastores, doceret, non novam proponebat doctrinam, sed novam Papæorum reformans, antiquam Prophetarum, Christi & Apostolorum prædicabat. Lutheri doctrina nova videbatur, revera antiqua erat, ex fordibus saltem Papalium errorum eruta, & in claram lucem collocata.

§. XV.

\* *In Epist. Gallica ad P. de la Chaise quæ exhibetur in Umsch. Nachr. 1706. pag. 490. sequ. & 552 sequ.* \*\* *Ecclesiam Papæam non defecisse post alios prolixè satis, licet maximam partem generallioribus argumentis probare voluerunt, Antonius Arnaldus in tr. de la perpetuité de la foy, & Leon. Ant. Langelwin in lib. de l'infallibilité de l'Eglise, sed contrarium ostenderunt post Centuriatores Magdeburg. Nicolaus Hunnius in Apostasia Romana. Petrus Molinaus de novitate Papismi. Ad latet Theodorus Thummius in Luthero Thaumaturgo pag. 27. sequ. itemque Jac. Sponius in Epistola modo citata, &c.*



§. XV.

Objiciunt porro: Quicumque de extraordinaria missione a DEo gloriatur, ille suam missionem miraculis ostendere debet. Atqui Lutherus &c. Ergo. Majorem probant, quia qui mittitur debet ostendere testimonio ejus a quo mittitur suam autoritatem, alioqui nemo cum tenetur recipere. Ita qui mittitur ab ordinario Prælato ad docendum literas ejus sigillo munitas ostendere debet; sic ergo qui extraordinarie mittitur a solo DEo, missionem suam sigillo DEI confirmare debet, quod nihil aliud est quam miraculum. Sic enim dicitur Marc. 16. v. 20. Illi profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, & Hebr. 2. v. 4. Contestante DEo signis & virtutibus. Minorem ex eo confirmat, quod Lutherus ordinarie missus non sit, ut Ecclesiam reformaret. Rursus verò in hoc argumento major vacillat, minor manifesto falsa est. Majori ipsum Lutherum contra Münzerum usum esse inficias ire non possumus. Ita enim de eo scribit: Wenn er denn saget, GOTT und sein Geist habe ihn gesandt, wie die Apostel, so laß ihn dasselbe beweisen mit Zeichen und Wundern, oder wehret ihm das Predigen; \* sunt tamen non nullæ, quæ & contraeandem excipi possunt. Omnes certe Prophetas extraordinarie a DEo missos miraculis suam missionem comprobasse, asseverare vix possumus, saltem de Jeremia, Ezechiele, Joële, Amosio aliisque ex Scriptura non constat. Hinc Prophetæ assensum postulantes non tam ad miracula, quam ad autoritatem dicentis DEI provocant, & דַּבְּרֵי יְהוָה semper ingeminant, quod DEI verbum, si saltem debita attentio accedat, missi autoritatem certius, quam omnes literæ & sigilla demonstrant. Caterum minorem in Argumento Papistico oppido falsam esse omnes a præjudicio liberi facile videbunt. De extraordinaria missione, (h. e. immediata, qualem nempe Papistæ intelligunt) Lutherus nunquam gloriatus est, sed contra-

D rium

\* Tom. 2. Altenb. fol. 790. Add. T. 3. fol. 542. T. 5. fol. 966. & 809.  
T. 6. fol. 907. &c.



rium ejus manifesta verba docent : \* Ich habe noch nie geprediget, noch predigen wollen, wo ich nicht durch Menschen bin gebethen und beruffen. Denn ich mich nicht berühren kan, dasz mich GOtt ohne Mittel vom Himmel gesandt. Quando vero Lutherum ordinariam suam missionem probare non potuisse urgent, adversæ parti opponimus, quod adhuc in Papatu, sub quo ipsum ministerium, sacramenta, vocatio, & ordinatio retenta erant, non modo An. 1507. ad ministerium Ecclesiasticum vocatus, ab Episcopo potestatem verbunum DEI docendi acceperit, sed & A. 1508. Wittebergæ Professor, An. 1512. Doctor Theologiæ legitime constitutus \*\* missionem suam ordinariam satis demonstrare potuerit. Ich hab es oft gesagt, scribit, und sage es noch: Ich wolte nicht der Welt Gutt nehmen für mein Doctorat. Denn ich müste wahrlich zuletzt verzagen und verzweifeln in der grossen schweren Sachen so auff mir liegt, wo ich sie als ein Schleicher hätte ohne Beruff und Befehl empfangen. Aber nun muß GOtt und alle Welt mir zeugen, dasz ichs in meinem Doctor-Ambt, und Predigt-Ambt öffentlich habe angefangen, und bisz daher geführt mit Gottes Gnaden und Hülffe. † Neque vero putandum, Lutherum ad docendum non ad reformandum missum fuisse. Vocatus enim erat Lutherus ad verbum DEI pure prædicandum, imo Doctor creatus juraverat, se vanas doctrinas peregrinas, & ab Ecclesia damnatas, & piarum aurium offensivas non dogmatizaturum. †† Hoc itaque cum propter errores Pontificios sine reformatione non possibile esset, manifestum est, missionem ejus non modo docendi sed & reformandi potestatem involvisse. †††

s. XVI.

\* T. 2. fol. 790. \*\* Vid. Seckendorff in Historia Lutheranismi lib. 1. §. 8. fol. 19. in Luth. Op. T. 9. Alt. fol. 1564. † T. 5. Altenb. fol. 968. †† Juramenti formulam ex Actis Academicis refert B. Hülsemannus in Breviario Cap. 19. §. 29. Conf. T. 5. Altenb. Op. Lutheri fol. 559. †† Prolixius Lutheri



Ultimo tandem objicere videntur adversarii, Lutherum ipsum bene agnovisse, doctrinam ipsius, si recipienda esset, miraculis indigere, adeoque bis tentasse miracula facere, primo quidem cum ex discipula quadam diabolum ejicere vellet, licet tam infelici successu, ut periculum fieret, ne ipse a Dæmone interficeretur, secundo cum Gvilielmum Nefenum in Albi misere submersum multis immurmurationibus in vitam revocare tentaret. Primam relationem ex Staphylo,\* Surio,\*\* Raynaldo, \*\*\* Maimburgio, † aliisque, secundam iterum ex Surio, †† itemque Cochlæo ††† depromere licet. Verum quis crederet acerrimis Lutheri hostibus, apostatæ & calumniatoribus impudentissimis? Quod ad puellam obsessam attinet, falsissimum est, Lutherum miraculosa quadam ratione Dæmonem ejicere voluisse; sed preces saltem pro obsessa ad DEum fudit, ut eam liberaret, quod sine portentis affectatione facere potuit, quemadmodum pro ægrotis sine miraculi expectatione orare permissum est. Veram nimirum relationem conservavit Sebastianus Froschelius, Archi-Diaconus Wittebergensis testis oculatus, quæ in compendio ita se habet: Puella 18. annorum, quam a Dæmone obsessam ajebant ad Lutherum adducta, hic solita pompa exorcismum instituire recufabat, populumque affatus monebat, miraculis expellendi Dæmonia hoc tempore locum non esse, nec Ecclesiam plantatam iisdem opus habere, sed precibus contra hunc spiritum pugnandum, horamque liberationis patienter expectandam.

Tunc

---

*Lutheri vocatorem vindicant Melchior Zeidlerus in Lutero defenso pag. 65. seqv. & Abr. Calovius in Syst. T. 8. Art. 3. cap. 2. qv. 2. Add. Jacobi Basnagii Histoire de la Religion des Eglises Reformées. T. 1. P. 2. cap. 2.*


\* *cii. Bellarmino de notis Ecclesie cap. 14.* \*\* *Comment. pag. 531. seqv.* \*\*\* *n. 40. ad A. 1545.* † *Histor. Lutheran. lib. 3. sect. 30.* †† *Comment. pag. 534.* ††† *In Actis Lutheri cii. Bellarm. l. c.*




Tunc manum capiti puella imponens, recitato symbolo fidei Oratione Dominica & dicto Joh. 14. v. 12. preces ad DEum una cum reliquis Ecclesie ministris fundebat, ut propter Christum Dæmonem ex puella ejicere vellet. Discedente deinde ad suos puella, hi postea per literas significarunt, illam a dæmone non amplius vexari. \* Cæterum fabulam esse quod de male tractato a dæmone Luthero referunt, Acta Archivi confirmant, quæ cum relationes de Luthero ejusque scriptis ad Electorem missas minoris momenti contineant, de hac tamen re in publico gesta nihil plane commemorant. Nescium in Albi suffocatum Lutherum resuscitare tentasse Cochläus & socii more suo mentiuntur, qui ut putidissimis fabulis Megalandri nostri facta profunderent, nihil intermiserunt. Amare saltem slevit Lutherus amicum submersum, & misera morte valde turbatus dixit: O utinam possem resuscitare mortuos! ceu Bucholtzerus \*\* ex ore Parentis testis oculati, qui tunc in ripa adstitit Luthero recenset, quæ deinde verba calumniatores ita explicuerunt, ac si resuscitationem ejus serio tentasset. Negamus proinde, Lutherum unquam tentasse miracula facere, qui potius a miraculis ad Dei verbum homines perpetuo ablegavit, ut supra audivimus.

\* Vid. Job. Mollerus in *Luthero defenso* §. 236. & ex eo Seckendorff *Hist. Luther.* Lib. 3. §. 133. fol. 633. \*\* In *Ind. Chronol.* ad A. 1524. pag. 513.

TANTUM.











circu quodq; mmmx p; rchome; ...





00 A 6445

ULB Halle 3  
002 937 573




5b.


12 vom HL 96.











DISSERTATIO THEOLOGICA,  
ARGUMENTUM EXHIBENS  
JUBILÆO  
QUOD INSTAT  
LUTHERANO  
ACCOMMODATUM,  
DE  
**MIRACULORUM  
DEFECTU,**  
B. LUTHERO MALE EXPROBRATO,  
QUAM  
DEO O. M. JUVANTE,  
SENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ  
PRÆSIDE  
SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO & EXCELLENTISSIMO  
DN. HENRICO LYSIO,  
S. Theol. Doct. & Prof. Secund. p. t. Facult. suæ DECANO,  
S. R. M. in Borussia Concionatore Aulico, Consistorii Sambiensis  
Consiliario, Collegiique Fridericiani Directore,  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBJICIT  
CHRISTOPHORUS Langhanssen/  
Mathem. P. P. Extraord.  
IN AUDITORIO MAXIMO  
Anno 1717. d. 22. Octobris.

REG. IO. MONTL. LITERIS REUSNERIANIS.